



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Ceadda Episc. 2. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

Frisones, Westphali, Saxones, Colonienses aliiq;  
agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in su-  
perstitionis nocte prælucere cœpit, cùm primum  
anno quinto decimo inter viros religiosos adle-  
ctus fuit, multò magis postea, cùm facere hoc  
impositum munus Episcopi jussit. Sed & Nomen  
calculo suo Apostoli officium confirmavit, quan-  
do vincum à Germanis, missō genio bono, ē  
carcere eduxit. Testes porrò dicenti accesserunt  
præter alios cæci, surdi, muti, dæmones adē ipsi  
& tres demortui; illi sani omnes à Divi manu, h̄i  
vel pulsi, vel in vitam revocati. Atque hos inter  
adolescentem memorant, cui vocabulum Splin-  
terus erat. Hic SWIBERTO templum amni super-  
structum sacrante, dum cymbā ludit incautus,  
excidit & aquis haustus mærore Festum diem  
contaminat. Parentes alieni à divino cultu de-  
functum in fanum proximum inferunt, & frustra  
omnibus precibus armatas Martis aures pulsant.  
Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus.  
Quod tamen hujus non potuit, I s v Nomen in-  
vocatum à SWIBERTO potuit, & puer in vitam  
revocatus plures à superstitione revocavit. Deni-  
que stella nobilis SWIBERTVS cùm diu in terris  
egisset, locū suum, ex quo venerat, repetiit. Ex Str.

Etiam infidelis totum se ei debere non ignorat,  
quem sui totius non ignorat autorem: quid ergo ego  
qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratui-  
tum largitorem, sed in sapientiam copiosissimum Re-  
demptorem, eternum conservatorem? S. Bern. de  
dilig. Deo.

S. CE ADDA EPISC. 2. Martii.

M Ortem ut ne timeas, time Lector: neque  
enī illi olim timent, qui nunc timent; id  
quod

114 VITÆ S A N C T O R V M . Mart.

quod CEADDÆ Merciorum & Lindisfanorum in Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille anno post orbem restauratum Septuagesimo secundo supra sexcentesimum. Gremium mortuo MARIAE templum præbuit, ipse ægris asylon tumulum suum, cuius pluvia haustus morbidis quamplurimis saluti fuit. Cæterum solitus est, dum vixit, quoties velientior celo ventus insurgeret, humili se abjecere magnisque vocibus Misericordiam Dei implorare: jam cælo gravius succensente, & fulgura tonitruaque miscente, ad templum fugere & aram; neque ibi prius sibi à lacrimis temperare, quam iterum Sol rideret. Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præludiis estimare se illum supremum ac decretorium dient. Utique nimis tunc hominem fulgurantes judicis oculos, & fatalem ab arcu sententiam detonantem laturum. Sed talis CEADDÆ nunquam magis serenum cælum quam moriens aspexit. Siquidem septem continuis diebus aspectabiles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitarunt emeritum, utque aures faciles impretrarentur ah! quali musicâ has demulserunt. Ultimè cum iisdem frater CEADDÆ adfuit, qui cum nuper ad eò in cælum ivisset, viam scilicet nunc germano monstravit. Ex Bedâ Histor. Eccl. Gent. Angl.

Time, ô homo quod in terribili Iudicio ei presentandus es, in cuius manus horrendum est incidere, & eo exanimante, quem nihil latet. Si inventa fuerit in te iniquitas, alienandus es ab universitate quietis & glorie, & segregandus à numero Beatorum. S. Bernard. serm. de Noviss.

S. WIN-